

prehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur; Beatan, & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem: sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Pape Quarti sub penit in eis Constitutionibus contentis, quas innovat.

Pius Quintus in exordio Constitutionis 114. datæ pridie Kalendas Decembbris anno 1570., quæ incipit, *Super Specula*, Considerans non sine animi sui dolore (hoc est exordium prædictæ Constitutionis) quosdam diversorum Ordinum Regulares, Clericosque seculares, omisss, quæ Divinae Majestatis gloriam, & Sanctissime Dei Genitricis, aliorumque Divorum veneracionem, atque fidelium pietatem promovere poterant, quod Apostolus in quibusdam arguit, languent circa questiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidia, & contentiones, ceteraque vitiorum monstra, potissimum vero, cum de gloriose Virginis Mariæ Conceptione sermo incidenter, tam pertinaciter pro alterutra parte contendunt, ac si de illis dogmatibus esset, qua corde credere ad justitiam, ore confiteri ad salutem necessarium est, innovat prohibitionem Sixti Quarti probatam a Concilio Tridentino, & vetat de Conceptione Beatæ Virginis disputari in popularibus concionibus, vel ubiquecumque promiscua virorum, & mulierum multitudo convenire solet, aut de ea vulgari sermone scribere, & dictare sub poenis &c. Permitit tamen de ea in Academiis discutere, & Capitulis Generalibus, aut Provincialibus, ubi scandali occasio non adsit.

Paulus V. ut sedaret contentiones, & rixas non sine offensa, & scandalo plurimorum exortas, & in dies crecentes, edidit Constitutionem anno 1616. die 6. Julii, & est 97., quæ incipit, *Regis Pacifici*, in qua confirmat Constitutiones supra dictas Sixti Quarti, & Pii Quinti, & transgressoribus auget poenas. Quia tamen dissidia adhuc increuerant, in alio decreto relato in sequenti Gregorii XV. prohibuit, ne in quibuscumque astibus publicis quis audeat assertere, Beatam Virginem cum peccato originali conceptam fuisset.